Bibliothèque numérique

medic@

Arragon, Everte - candidat / Cappel, Guillaume - président. - An ut Renum, Sic Vesicae Lithiasis sit Curabilis ?

1565.
[Paris]
Cote : ms 72 n°53

(c) Bibliothèque interuniversitaire de santé (Paris)
Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms00072_ms00080x01x0053

Quæstio Medica Quodlibetariis discutienda disputationibus
In Scholis Medicorum die Jovis 8ª Novembris, D. Guillelmo Capello D. M.
Moderatore prudentissimo.

An ut Renum, sic Vesicæ Lithiasis sit Curabilis?

Cum in variis Corporis partibus lapis generetur, tum maxime in Renibus et Vesica, ex pituita Crassa et lenta, Illarum partium calore temperato vel intemperato concrescente: adjuvante hæreditaria Renum Constitutione Calculosa, vasorum angustia, et facultatis Expultricis imbecillitate. frigiditas vero initio Calculi Causa non numeratur, quæ tanta in Corpore esse non potest, ut ab ea lapis aut adipe concrescat.

Itaq; qui desides habent Renes, et viscera Calida, quiq; neglecto Cibariorum salubrium pondere, multam pituitam Crassam et lentam in Corpore congerunt, hi Lithiasi sunt opportuni: Puderi quidem est quæ in Vesica fit, similis vero Renali, à qua gravissime Cruciantur. Cuius generationem facillime utriq; vitaverint, si omnibus Causis Calculum generantibus studiose Remediis propriis obstiterint.

Calculum in Stomacho Renum, vel in eorundem substantia procreari, urinæ Crassæ, sabulosæ, postea tenues, arenularum expertes, antea plenæ indicabunt. qui si jam sit formatus, lumborum adest gravitas cum dolore fixo, Cibatis quam jejunis vehementior, Vomitus, alui astrictio, aliquando stranguria, quem femoris eiusdem lateris cum Renis dolentis, aut utriusq; stupor, et testium retractio Comitatur. Quibus interdum sic Colicus dolor communicat (unde Nephritidem sæpenumero emuletur) doloris tamen magnitudine, loco, tempore, motu, vicinarum partium sympathia, medicamentorum actione, et symptomatum diversitate distinguuntur.

Vesicæ vero Capacitas si lapidem aut ex se, aut aliunde Contineat, præter dolorem sub pube, in Collo Vesicæ, ano, et Inguinibus gravem et ponderosum, stantibus et Cubantibus loco diversum Urina erit initio tenuis, alba cum hypostasi, arenosa, Copiosa, in fine tamen cruenta, ut etiam plerumq; ameat cruentam accedit et urinæ stillicidium, Cui offenso Vesicæ Collo, suppressio propere succedit, Cuius tamen speciem pituita salsa et Crassa, vel pus et lentor Collectum, aut Caruncula excrescens, vel sanguinis thrombus interdum fallere Compositæ.

Calculus Renum si cum Nephritico dolore, tum ventrem infestiorem Conturbante, tum vomitum excitante Coniunctus sit, is primum dolore cedendus clysteribus anodynis, et Malacticis, linimentis, fotibus Regioni Renum admotis, Encathismatis, præmissa venæ sectione, si quidem periculum inflammationis adfuerit. Deinde Corpore phlegmagogis convenientibus expurgato, Lithontripticis et Calculum dissolventibus utendum. primum quidem manifesta qualitate, postea occulta vi agentibus, vitatis vehementibus Calfacientibus, tam sumptis quam admotis. at superiora Remedia Renum Calculo propria Lithiasin Vesicæ persanant, tum propter viarum anfractus, tum quod Calculus novo urinæ Crassæ affluxu pituita obducatur: sed sola Lithotomia, quæ pueris, et mulieribus quam senibus est tutior, expeditissime id efficit.

Ergo non ut Renum, sic Vesicæ Lithiasis erit Curabilis.

Afferebat Euuertius Arragon Aurelianensis. M. D. LXV.

Domini Doctores disputaturi.

M. Christophorus Massin. M. Joannes de Verneuil. M. Robertus Breaume.
M. Nicolaus le Gros. M. Ludovicus Gibault. M. Joannes Huguet.
M. Guillelmus de la Barre. M. Symeon de Malmedy. M. Olivarius Violaines.

F.H.P.